

Anonymi auctoris oratio die ii. Feb. anno mccccxvi. in concilio Constantiensi habita.

Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Scribuntur originaliter haec verba Rom. XIII. recitatiue vero in epistola praesentis dominicae secundum ordinantiam et consuetudinem nostri praemonstratensis ordinis.

Reuerendissimi patres et doctores egregii ceterique domini honorabiles. Cum in omni opere et praesertim, quod salutem primum respicit, facultatem naturae creatae transcendente, diuinum implorandum sit auxilium, non minus in praesenti, quia in eo principaliter salus quaeritur animarum. Si enim, ad nutum loquendi Augustini IV. de doctrina christiana pro temporali salute particularis populi Iudaeorum, [210] Hestera regina apud mortalem regem locuta orationibus et populi deuotionibus se commendauit, quanto magis in praesenti, dum non pro vnus singularis populi vita transitoria; sed pro aeterna salute cunctorum viuentium loquendum est, in uestrarum paternitatum praesentia, vniuersalem ecclesiam repraesentantium et aeterni regis ipsi ecclesiae sponsae dicentis: vbi duo; vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum: nobis necessarium deuotis orationibus diuinum auxilium inuocare. Et ideo cum nostrae salutis processus in dilectione fundetur, quia sic deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt saluaretur mundus per ipsum Io. III. Ad matrem pulchrae dilectionis et sanctae spei, per quam nobis datus est ipse filius, quae nec in aliis deuocata deficere solet vno animo eodemque consensu fratres inuicem diligentes, cum omni fiducia, quatenus auxilium diuinae gratiae nobis impetrare dignetur, deuotissime recurramus, ipsam salutando salutatione angelica, dicentes: Aue Maria et cetera.

Nemini quidquam debeatis, scribitur vbi supra. Reuerendissimi patres et domini mei praestantissimi. Misericors et misericors dominus, videns naturam nostram per peccatum morti subiectam, quam in magna sui parte praedestinavit ad gloriam, propter nimiam [211] charitatem suam, qua perpetuo dilexit nos, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos; sed secundum misericordiam suam, etiam cum inimici essemus, sic dilexit mundum, vt dictum est, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipso, non pereat; sed habeat vitam aeternam. Hanc vitam sine dei et proximorum dilectione non valemus acquirere. Si vis, inquit veritas, vitam ingredi, serua mandata, quae in dilectione dei et proximi fundari manifestum est. Et ideo dei filius, veniens in hunc mundum, vt homines vitam habeant et abundantius habeant Ioann. X. frequenter mutuam dilectionem, quae ad deum referenda est, praecipit Ioann. XIII. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Et infra XV. Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem. Non quomodocumque; sed vtrouique dilectionem ipsam specificat et exprimit; sicut dilexi vos, inquit. Magna perfectio et excellens dilectionis specificatio, quia, vt consequenter dicit, maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis. Hoc autem ipse dominus fecit, imo pro inimicis, quia, cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii eius Rom. V, 2. Cor. V. pro omnibus mortuus est christus. [212]

Praecipiens igitur, vt nos inuicem diligamus, quemadmodum dilexit nos, voluit nos sic diligamus inuicem, quatenus nullum a nostra dilectione excludamus. Aliquid huius magni ponderis concipio. Sed attenta malitia temporis et fragilitate propria, dicere pertimesco. Dicat ille potius, cui reuelata sunt secreta caelestia. In quo, inquit,

cognoscimus charitatem dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.

Audiamus tamen dilectionis extensionem et latitudinem charitatis, quam veritas aperiendo praecepit Matth. V. diligete, inquit, inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, vt sitis filii patris vestri, alioquin mercedem non habebitis, vt ibidem consequenter innuitur.

Hanc extensam mutuae dilectionis doctrinam exprimit apostolus in verbis praeadsumti thematis cum dicit: nemini quidquam debeatis; nisi vt inuicem diligetis, quod fuit thema.

Pro aliquali ordine dicendorum, vt vitetur confusio, aduertendum est, quod dilectio hominum debita, de qua sermo, nemini quidquam debeatis et cetera habet etiam operam subsequentem. De primo dicit Augustinus: inuisa possumus diligere, incognita nequaquam. De [213] secundo Gregorius: quod probatio dilectionis exhibitio est operis.

Et secundum hoc in praesenti sermone, si deus dederit, erunt tres breues considerationes. Prima pertinebit ad cognitionem; secunda ad dilectionem; tertia vero ad operam.

Prima declarabit, quomodo cognoscemus, quod nemini quidquam; nisi dilectionem debeamus? secunda horabitur, vt secundum debitum proximum diligamus; tertia vero, vt ipsam dilectionem persoluamus.

Et ita prima pars respicit intellectum, secunda voluntatem, aut adfectum et tertia exteriorem effectum, quibus per dei gratiam deductis, quodammodo videre poteritis, quod nemini quidquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis.

Pro primo potest adduci illud Matth. XIV. quod credens quidam ad Iesum ait illi: magister, quid boni faciam, vt habeam vitam aeternam, qui dicit illi: si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit ille: quae? Iesus autem dixit: non homicidium facies, non adulteraberis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum et matrem tuam et diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Ecce quam salubriter ille instruitur, quamuis tentando adcesserit, vt nemini quidquam debeatis; nisi dilectionem. [214]

Sic et plures de diuersis statibus veniebant ad Ioannem in deserto, inquietes: quid facere deberent? qui similem instructionem receperunt, vt patet Luc. III.

De secundo Io. XV. haec mando vobis, vt diligatis inuicem.

De tertio vero in 1. Io. III. non diligamus verbo, neque lingua; sed opere et veritate et 2. Cor. VIII. quemadmodum promptus est animus vocatis, ita sit et proficiendi ex eo, quod debeatis.

Quantum ad primum, considerandum est, quod, cum dilectio debita hominum ex propria dilectione mensurari debeat, quia dicitur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Expediens, imo necessarium videtur, si quis voluerit scire ad quantum obligetur bonum, quatenus introrsum semetipsum diligenter inspiciat, vbi videri poterit, quid impendere proximo teneatur.

Contingit autem, vt homo se ipsum dupliciter consideret. Primo namque aliquis consideret se ipsum vt singularem hominem, alio modo secundum officium, statum, gradum aut ordinem.

Primum fecerunt Paulus et Barnabas, cum sacerdotes et populus vellent iis vt diis sacrificare. Qui conscissis tunicis exilierunt in turbas, clamantes et dicentes: viri, quia his facitis? [215] et nos mortales sumus similes vobis homines Actor. XIV. Similiter

princeps apostolorum Petrus, dum Cornelius procidens ad pedes eius adoraret, Petrus leuauit, dicens: surge et ego ipse homo sum Actor. X.

Si autem ad particularem sui considerationem descendere libeat, videbit vnusquisque, se ipsum debite considerans, quantum ad corpus, per totum vitae praesentis cursum ipsum corpus egens victu tegumentoque et omni loco et tempore secundum quamlibet sui partem doloribus, infirmitatibus, casibus fortuitis, aestibus; aut frigoribus ceterisque nostrae fragilitatis poenalitibus subiectum imo frequenter infectum nec non necessitati moriendi indissolubiliter obligatum et tandem post mortem vermibus escam paratum, vt declarat ad longum Innocentius de vilitate conditionis humanae. Videbit, quantum ad animam ignorantiam et hebetudinem in intellectu: obliuionem in memoria, in voluntate prauitatem difficultatem ad bonum et ad malum pronitatem. Et tunc poterit dicere cum psalmista: miserere mei, domine, quoniam infirmus sum, sana me, domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea et anima mea turbata est valde.

Quantum vero ad vtrumque rebellionem carnis ad spiritum et legem in membris propriis legi mentis repugnantem. **[216]**

Cum igitur cognouerit homo semet ipsum vt singularem hominem indigentem multipliciter secundum omnem sui partem: diliget et optabit sibi nedum necessaria; sed etiam accommoda ad finem suum consequendum, quantum ad corpus victum et tegumen, quantum ad animam, instructionem in intellectu correptionem et exhortationem in affectu, et quantum ad vtrumque exercitium et operationem vtilem, delectabilem et honestam et ad propriam salutem consequendam. Ex quibus poterit homo cognoscere quantum se ipsum diligit; vel saltem diligere deceat. Et ex consequenti, quantum proximum suum tenetur diligere, secundum legis praeceptum: diliges proximum tuum, sicut te ipsum, Matth. VII. Omnia, quaecumque vultis, vt faciant vobis homines et vos facite illis.

Quod vtique multum videtur conueniens, cum in cunctis hominibus eadem sit natura secundum speciem, sic, vt participatione speciei dicantur vnus homo secundum Porphyrium. Et si quid amplius videatur, sumus omnes fratres in Adam imo et in Noe secundum carnis propagationem, in Abraham secundum regenerationem, in deo secundum creationem et adoptionem, quem omnes confidenter vocamus patrem, dicentes: pater noster, qui es in caelis Matth. VI. et 1. Io. IV. Videte qualem **[217]** charitatem dedit nobis, vt filii dei nominemur et simus et Io. I. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Et secundum b. Ioannes arguit dilectionem proximo debitam superposita dei dilectione: omnis, inquit, qui credit, quoniam Iesus est christus, ex deo natus, et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit eum, qui natus est ex deo 1. Io. II.

Contingit hominem se ipsum inspicere secundum statum, gradum, aut ordinem. Hanc considerationem habebat apostolus Rom. I. gradum attendens, in quo erat constitutus cum diceret, graecis et barbaris sapientibus et insipientibus debitor, tamquam scilicet doctor apostolus. Sic dum vnusquisque debite considerat suum officium, sic gradum, statum, aut ordinem videre potest, quid sibi et quid ipse proximo impendere teneatur.

Et si praelatum siue pastorem se quispiam inuenerit, videbit, quod frequenter ex officio paterna dilectione et non ex cupiditate propria subditos suos, siue gregem visitare tenetur, sicut visitat pastor gregem suum. Non tamen cum austeritate et potentia; sed cum familiari dilectione. Sic, vt oves proprias nominatim vocet et eos educat ovesque illum sequantur, scientes vocem eius Ioann. X. **[218]**

Non enim vult dominus, quod pastores gregem suum visitent, vt lac comedant et lanis operiantur et, quod crassum est, occidant; gregem autem suum non pascant; sed vt per sollicitam visitationem iurisdictionariam, vel sacramentalem confessionem diligenter inquirant, si quid infirmum, si quid aegrotum, si quid fractum, abiectum fuerit. Et tunc se videbunt obligatos, agnitis gregis et particularium suppositorum necessitatibus, vt infirmum consolident, sanent aegrotum, fractum alligent, abiectum reducant et, quod perierat, requirant, iuxta doctrinam domini per Ezechielem Ezechiel. XXXIV.

Si quis autem se ipsum considerans se subditum intelligat cognoscet, cui ex ipsa subiectione tenetur ad reuerentiam, obedientiam et honorem, quae omnia in mutua dilectione fundantur et ipsam dilectionem ampliant et conseruant.

Est et alius modus, quo se ipsos homines inspiciunt secundum statum, aut gradum, vt per mutuam dilectionem cognoscant, quae vnicuique statui conuenientia fuerint; vel etiam opportuna. Sic quippe cuncti parochiales se congregant in calendis, sic annis singulis maiores ordines in suis generalibus capitulis. Sic episcopi suam dioecesin conuocant ad synodum. Archiepiscopus propriam, summus [219] pontifex vniuersalem ecclesiam, vt per mutuam collationem, cognita necessitate et experientia, seu etiam expedientia vnius cuiusque status, non per inuidiam, detractionem, aut vindictam afflicto cumuletur afflictio, aut status statum laedat, aut deprimat; sed potius, vt per dilectionem mutuam vnicuique statui possit expedientius prouideri istoque modo impleri valeat sententia thematis cum dicitur: nemini, vel in singulari persona; vel in statu quidquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis. Et haec de primo.

Quantum ad secundam partem, hortandum erat, vt secundum debitum proximos diligamus. Mouere multum potest ad proximi dilectionem, illud, quod dicit apostolus, deducens nostrum thema: qui diligit, inquit, proximum, legem impleuit. Magnum profecto et peroptabile ac foecundum bonum legis impletio.

Sed quomodo dilectio proximi, fit legis impletio, audiamus, si placet, etiam secundum doctrinam apostoli. Nam dilectio christi adulterium vitat, abhorret homicidium, furtum damnat, falsum testimonium detestatur, vitae superbiam odit et fugit concupiscentiam oculorum. Et si ipsam charitatem dicamus aut in charitate formatam, ipsa proximi dilectio patiens est, benigna est, non aemulatur, [220] non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate. Congaudiens autem veritati, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet, reddit omnibus debitum, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Apostolus vbi thema: dilectio proximi facit christi discipulum. In hoc, inquit christus, omnes mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem Io. XIII.

Dilectio proximi illuminat intellectum. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet et scandalum non est in eo Ioann. XX.

Auferit mortis opprobrium. Nos scimus, qui translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres 1. Ioann. III.

Facit dei filium. Diligimus inuicem, quia charitas ex deo est, et, qui diligit fratrem suum, ex deo natus est 1. Io. IV.

Dat charitatis complementum. Infra, eodem. Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, et charitas eius in nobis perfecta. [221]

Vt igitur, per optimi patres et venerabiles domini, sicut christi discipuli, intellectu clari, a morte liberati, ipsius dei filii et in charitate perfecti, inuicem diligatis Galat. V. per charitatem spiritus seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur: diligis proximum tuum, sicut te ipsum.

Sic praesens sacrosancta synodus Constantiensis stabit in magna constantia aduersus eos, qui eam angustiauerunt; vel etiam eius fructuosos labores auferre conantur, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Sic a praesenti generali concilio et consequenter ab vniuersitate fidelium, exterminabuntur et in exterminium perpetuum mittentur inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, inuidiae, furta, homicidia, detractiones, seditiones et si qua sunt similia, quae regnum dei non consequuntur. Et loco praedictorum per dilectionem mutuam introducentur fructus spiritus, enumerati per apostolum Gal. V. qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo fides, modestia, continentia, castitas, quorum declarationem elegantem nuper audistis. Ideo pertranseo.

Si semper vnusquisque proximum suum et consequenter eius honorem, sicut proprium [222] et se ipsum dilexisset, numquam praesens horrendum schisma, nimis, pro dolor, diuturnum, pro cuius sedatione, reuerendissimi patres et sapientes viri, qui in spiritu sancto conuenistis, introductum fuisset, quanto minus continuatum. Sed quo pullularunt haereses.

Pestiferum schisma namque ad haeresin viam parat et loco dilectionis sacrilegam diuisionem inducit.

Sed nunc, operante christo per ministerium vestrum dilectio redeat et diuisio recedat in confusionem. Non enim diuisus est christus, cuius res agitur, qui in omnibus pro sua reuerentia exauditus est, et ipse pro suis rogabat patrem Ioann. XVII. pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut et nos. Et quibusdam interpositis: ego in eis et tu in me et simus consummati in vnum et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut me dilexisti.

Ipsi domino, Iesu christo, qui ductor est praesentis operis, sine quo nihil potestis facere, cooperatores indefessi et peruigiles fuistis et constanti longanimitate, donec intentum finem attigeritis, ipsi dure perseuerabitis, mercedem salutis exspectantes, qui tantam dilectionem habetis ad inuicem, vt iam duas, vt sic loquamur, obedientias in vnum iunxistis, tertiam vero per Ambassiatores vestros [223] solennes, quorum fructuosa diligentia perpetuae memoriae commendanda est, habeatur in promissis. Ex quibus, disponente deo, non ambigimus perfectam vnionem sanctae matris ecclesiae prouenire.

Quia vnione completa, remotum erit obstaculum, quo forsan nullum maius est, quod Graecos in diuisione diu tenuit. Et faciliter vestrae dilectionis extensio, quae ipsos etiam comprehendit, merebitur reciprocamque dilectionem recipiet, per quam nobiscum coniungi poterunt et vniri. Et ita tolletur de medio vetus schisma, per inimicum humani generis procuratum, quod infideles in quadam perplexitate detinet, cum dicere possint: si conuersamur cum Graecis, anathematizabimur a Latinis et contra: vnione vero omnium christianorum per mutuam cunctorum dilectionem consummata, agnoscent et ipsi gentiles, nos esse christi discipulos, ipso dicente, vt praemissum est: in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et christus loquens patri de suis dicebat: sunt, inquit, consummati in vnum. Et sequitur: vt cognoscat mundus, quia tu misisti.

Operetur igitur reuerendissimarum paternitatum uestrarum feruens proximorum dilectio, dum tempus habetis ad bonum completae [224] vnionis ipsamque dilectionem non in personis propriis, non in domo, non in oppido, non in ciuitate, non in prouincia, non in regno, non in natione, non denique in christianitate tota restringentes; sed et ad infidelium populos, etiamsi inimici videantur, efficaciter extendere curetis, cum nemini quidquam debeatis et cetera. Et tantum de secundo principali.

Tertiam et vltimam partem nostrae promissionis adcedentes, habemus inducere; quatenus ipsam dilectionem nedum affectu interiori; sed etiam exteriori opere persoluamus. Iam enim dictum est, cum Gregorio, probatio dilectionis exhibitio est operis. Amor enim dei, propter quem proximus diligitur, otiosus esse non potest, operatur etenim magna, si est. Si vero operari renuit, amor non est, quod consonat dicto Ioannis in prima canonica III. C. dicentis: qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? quasi diceret: nullo modo.

In hoc autem mutuae dilectionis exercitio duplicem habitudinem considero, primam hominis ad hominem; secundam vero status ad statum. [225]

Sic in prima homo ceteris hominibus generaliter per mutuam dilectionem tenetur, vt ipsorum necessitatibus et indigentis, si facultas affuerit, subueniat cum effectu Iacob. II. Si frater aut soror mundi sunt et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis de vobis: ite in pace, calefacimini, non dederitis autem eis, quae necessaria sunt, quid proderit. Et Luc. III. qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat. Et quod plus videri potest, etiam inimicis. Si elurierit, inquit apostolus, inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da ei Rom. XII.

Et hoc quantum ad corpus; loquendo autem, quantum ad animam: si peccauerit in te frater tuus, vade et corripe eum. Non dicit; ignosce solum, quantum ad actum interiorum; sed potius, vade et corripe eum inter te et ipsum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic ecclesiae; si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus Matth. XVIII.

Hoc honestum et commendabile dilectionis exercitium et huiusmodi ordinem dedit nobis dominus, Iesus christus, ad salutem proximi, quantum in nobis est conseruandam, vel potius procurandam. [226]

Peruertitur itaque institutus dilectionis ordo, quod absit, si singularis ambitio intelligentiae ita praesumat et transeat in affectum cordis, vt seriem dilectionis penitus contringendo, quemcumque fratrem paruum vel magnum principem vel bubulcum prius publica contumelia, cogitatu quoque temeraria offendat, quam dilectionis ordinem tenuerit. Et fit plerumque quod interturbatur pax regnorum atque praelia et seditiones suscitantur.

Quocirca aduertendum est, quod quibusdam viris inest quaedam radicalis industria iugiter malignandi et excogitandi sectas et diuisiones. Quemadmodum circa fautoriam schismatis ecclesiae manifestissime didicimus. Tales in discordiis impinguntur sibi non dilectio, sed diuisio tota est gloria.

Caueat, obsecro, sancta synodus, ne per ministros se inter nos spiritus diuisionis commisceat et mutuam dilectionem repellat iuxta secundam habitudinem, scilicet status ad statum. Exercere decet etiam inuicem dilectio.

Quantam enim dilectionem status pastoralis suo gregi et inferiori statui exhibere teneatur, si casus exigat, docente christo didicimus. Bonus, inquit, pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

Sed quando creditis animam ponere vt pro ouibus, qui nec substantiam indigentibus et [227] postulantibus praebent, vt de exactionibus, extorsionibus et rapinis aliorum taceatur. Iniuste detinentes pauperibus debitum patrimonium crucifixi. Illud etiam incerdum in ambitioso adparatu equorum, familiarium et illecebrosis artibus, turpiter effundentes. Et quod periculosius videtur, iurisdictionem suam, quae in aedificationem data erat, saepe, pro dolor, ad destructionem conuertentes, dum innocentes opprimunt, fouent peccatores in culpis, sperantes magis de vitiis quam de virtutibus, pecunias cumulantes. Et hi, qui iurisdictionem suam ampliare cupiunt, suorum vtinam, ne dicam propriae saluti sufficienti diligentia prouiderent.

Non sic, reuerendissimi patres et domini mei, non sic, sed potius oues et subditos vestros, tamquam pastores inuicem diligentes, ipsam dilectionem vestram opere compleatis, eos pem purgando et perficiendo, vt videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in caelis est, rependantque secundum filialem debitam reuerentiam, obedientiam et honorem, sicque fiet, vt nemini quidquam impendatis, nisi quod inuicem diligatis.

Considerantes vlterius, quod personae siue status ecclesiastici similem habent ad inuicem habitudinem, quemadmodum eiusdem corporis membra sumus. Omnia autem membra, [228] non habent eundem artum, ita multi vnum corpus sumus in christo, singuli autem alter alterius membrum. Rom. XII. et 1. Corinth. XII. hoc expressius declaratur, vbi inter plura dicitur, quod non potest dicere oculus manui; opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus; non estis mihi necessarii, sed multo magis quae videntur membra infirmiora esse, necessaria sunt.

Non igitur sit schisma, sed in id ipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et siquidem patitur vnum membrum ex mutua dilectione compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent alia. Vos autem estis vnum membrum, congaudent alia. Vos autem estis vnum corpus christi. Non igitur sit minor inter vos dilectio, quam inter membra eiusdem corporis naturalis, quae pro se inuicem morti se incunctanter exponunt, vt saepius experimur.

Et attendant, quaeso, diligenter inferiora membra, quae situm sibi retinebunt, si caput a suo statu debito deprimatur et demergatur in lutum, ac conculcetur ab hominibus. Nec praesumat aliquis cetera corporis membra coaequare capiti. Nihil enim tam capitis rationem aufert nihilque tam praedictam sententiam thematis et apostoli metaphoram atque firmissimam securitatem ordinis ecclesiae tollit, quam inferiores summo pontifici et Romano [229] solio in illis coaequare, quae adprobantibus sanctissimis viris et nulla adfectionis improbitate seductis, eidem Romanae sedi, vel generali concilio duntaxat incumbant, quae agi per inferiores sedes, esset corpus ecclesiae, non in vnitae dilectionis, sed potius in schismatis determinatione pro libito diuidi. Et quot dioeceses, tot forsitan credibilia protinus multiplicari pergendoque de dioecesi in alteram, de credibili ad suum contrarium, mundum fortassis vel incaute explicatum pertransire.

Itaque omnium quidem vestrum dominiorum pontificum vtique est, errantes contra explicatas determinatasque fidei veritates corripere.

Sed ea, quae aut nimium difficile est ad fidei principia resolvere, aut versare super problemate contigerit, haec quidem decidenda generali concilio vel eidem sedi

apostolicae reseruentur, quae semper immaculata permansit, ait Hieronymus, quem si quis temerarius de isto reprehenderit, subdidit ipse, quod haereticus est.

Si autem inferiora vestra, celeberrimi patres, quandoque reseruatis summo vicario Iesu christi sedique apostolicae, aut concilio generali, anne paruum est, maiora ecclesiae negotia, diuina disponente gratia, glorioso insinuante [230] Marcello, ad matrem, apostolicam sedem, referri.

Grauia quippe negotia materia fidei, quae est fundamentum humanae salutis et totius aedificii spiritualis. Nec vllibi, teste Augustino, periculosius erratur.

Idcirco noua determinatio circa fidem sedi apostolicae, infallibili aut vniuersali concilio, perseueranda est. Apostoli, emergente aliqua grandi difficultate, multitudinem conuocabant Actor. V. et XV. capitulis. Et illi, quos Moses iuxta consilium Iethro adsumserat in partem sollicitudinis, quidquid grauis erat, referebant ad Mosen, faciliora tantummodo iudicantes Exod. XVIII.

Hoc, vrgente conscientia et veritate, humiliter dixerim, concurrente reuerentia et dilectione, quam filias ad matrem ecclesiam et membrum ad caput exhibere tenetur.

Et quia dilectio, de qua loquimur, reciproca debet esse, matris ad filios seu capituli ad membra; vel potius praeueniens, consideret ecclesiae caput, siue vicarius capituli, si totam nimiamue membrorum substantiam ad se trahat, ne ipsius corporis membra mortificet, quibus secundum motum et secundum capituli proprietates influere tenetur. Nec altitudo siue sanctitas status, quo nullus est in ecclesia militante sanctior, aut aequae sanctus [231] ideoque conuenienter sanctissimus nominatur, ipsum in superbia eleuet, sed potius humilem reddat. Seruum se seruorum non tam in chartis patentibus, quam in sui cordis occulto iugiter agnoscendo.

Sic proportionabiliter vniuersa et singula mystici corporis christi membra, secundum status et gradus distinctos, vel potius personae in ipsis constitutae, cum vstiones graduum non sit, sed personarum fideliter et feruenti dilectione officia sua exerceant, inuicem onera comportantes, quemadmodum eiusdem corporis membra. Nec membrum deprimat, nec status statum; sed quod in eis corrigendum fuerit, tollatur abusus et seruetur status, cum dilectione hominum et odio vitiorum, secundum Augustini doctrinam in Regula quod fiet salubriter si secundum dictum apostoli Rom. XII. sit inter vos dilectio sine simulatione.

Sitis igitur, reuerendissimi patres et domini praestantissimi, prout ibidem hortatur apostolus, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem praeuenientes, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes, considerantes sententiam saepius repetiti thematis, quod nemini quidquam debeatis [232] et cetera. Si autem diligamus inuicem secundum Ioannem in canonica, deus in nobis manet et charitas eius in nobis perfecta est. Cuius perfectae charitatis et ipsius plenae consummationis in gloria nos participes efficiat auctor pacis et dilectionis amator, dominus Iesus christus, qui cum patre et spiritu sancto viuunt et cetera.